



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus XII. De Cognatione Legali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

2. Resp. secundò: Quòd si parens extra casum necessitatis & dictæ ignorantia, adeoque temerè & malitiosè prolem ex conjuge sua genitam baptizet, vel è sacro fonte, aut in Confirmatione suscipiat, non tantùm graviter peccat; quia id severe prohibetur, c. 1. & 2. *caus.* 30. q. 1. ut Nav. c. 22. *num.* 9. Suar. *loc. cit.* Sanch. L. 7. d. 26. *num.* 7. Laym. *cit.* c. 8. *num.* 8. Pirh. *num.* 39. cum communi; sed etiam propter spirituales exinde cum conjuge sua contractam cognationem non potest ab ea petere debitum, etiã reddere teneatur. AA. iidem. Quamvis iidem asserant, dictum impedimentum debiti petendi nullo jure expresso probari posse, sed solo DD. consensu niti. Quin & cum Gl. in c. Si vir. h. t. v. *debitum subtrahere.* Cöniack. d. 34. du. 8. *num.* 69. Arg. c. de eo. 30. q. 1. expressè tenent contrarium, nimirum dictam penam non incurrì hodie, seu nullum conjugalis usus impedimentum inde oriri, quam sententiam probabilem censet Laym.

Quest. 212. An si sponsus de futuro sponsæ suæ prolem baptizet, aut levet ex Baptismo vel Confirmatione contrahat cognationem spiritualem cum ea, adeoque impedimentum solvens sponsalia, & dirimens matrimonium contrahendum.

1. Resp. primò affirmativè quòd ad Baptismum, etiam ob necessitatem ab eo collatum. Laym. *loc. cit.* *num.* 6. citans Nav. in *man.* c. 16. *nu.* 34. & L. 4. *conf.* 5. de *cognat. spirit.* edit. 2. Idemque procedere ait Laym. etsi nesciat esse prolem suæ sponsæ; eò quòd nihilominus verè baptizet, si habeat intentionem conformem Ecclesiæ baptizandi hunc hominem, quicumque is sit. Ratio autem, cur potius sponsus in eo casu incurrat dictum impedimentum, maritus verò ob eandem necessitatem baptizans prolem suam, non incurrat impedimentum petendi debiti hæc assignatur à Laym. *num.* 7. quòd marito post nuptias acquisitum sit jus petendi debitum, adeoque privatio hujus juris sit pœna, quæ non incurritur ab eo, qui culpam non admisit. c. *discretionem.* de eo qui cognovit. inter solutos autem seu nondum junctos matrimonio, dicta moralis inhabilitas ad contrahendum matrimonium, ex Juris Canonici dispositione non censetur pœna, quippe quæ etiam sine culpa contrahi potest.

2. Resp. secundò: Tametsi sponsus scienter

levans è sacro fonte vel confirmatione prolem sponsæ incurrat idem impedimentum; secus tamen esse videtur, si inscienter, seu nesciens esse prolem suæ sponsæ id faciat. Laym. *cit.* *num.* 6. cum Abb. in c. 2. h. t. *nu.* 4. Sanch. L. 7. d. 58. *num.* 7. eò quòd, ut volunt iidem, ad hanc cognationem contrahendam requiratur scientia & animus, quorum utrumque intali deficit; eò quòd patrinus determinatam intentionem habeat suscipiendi & spondendi pro hoc homine, quem animo concepit, adeoque error circa personam efficit, ut verè patrinus non fiat, & consequenter cognationem non contrahat. Nihilominus contrarium, nimirum dictum errorem, dnm quis levat filium sponsæ suæ, putans esse filium alterius, non impedire officium patris, consurgentemque ex eo cognationem, tenent Castrop. *loc. cit.* §. 2. *nu.* 5. Ponc. l. 7. c. 39. *num.* 9. & plures alii citati à Sanch. *loc. cit.* eò quòd levans filium videatur obligatus obligatus habere intentionem levandi præsentem, quicumque is sit, non secus ac baptizans tenetur habere intentionem baptizandi præsentem, quicumque is sit, ne baptismo illa sacra ceremonia deficiat. Quòd autem maritus levans per errorem filium uxoris suæ non impediatur à petitione debiti, non probat, illum non gessisse verum susceptoris munus, sed solum probat ex juris dispositione impedimentum petendi debitum illi sublatum esse, & meritò, cum hoc impedimentum, utpote superveniens matrimonio jam contracto, non decebat contrahi absque culpa.

Quest. 213. Num Hæreticus baptizans, vel in Baptismo aut Confirmatione levans prolem Catholici (contra quod prohibetur c. placuit, ib. q. 1. c. non licet, dist. 4. de consecrat.) contrahat cognationem spiritualem.

Resp. affirmativè; quia est baptizatus & legibus Ecclesiæ subiectus (nullibi siquidem in jure redditur incapax gerendi hoc munus patris, etiã id ei inhibeatur, & aliunde non obstat, quòd non sit capax instituendi baptizatum in Fide Catholica; cum hoc officium nunc ferè non incumbat patris, ut Laym. l. c. *nu.* 7.) ac proinde capax cognationis spiritualis. Sanch. L. 7. d. 60. n. 2. ubi ait, hos omnes fateri. Et ex eo Pirh. h. t. n. 40. Secus se res habet cum infideli secundùm dicta supra.

TITULUS XII.

De cognatione legali.

Quest. 214. Quid sit, & quotuplex adoptio, ex qua oritur cognatio legalis.

1. Resp. ad primùm: Rectè definitur adoptio à D. Thom. communiter recepto in 4. d. 42. q. 2. quòd sit personæ extraneæ in filium vel nepotem legitima susceptio. Dicitur primò: *Personæ extraneæ* qualis hic intelligitur, quæ non est in potestate adoptantis, seu ex descendibus illius, sive aliàs sit consanguinea sive non. Dicitur secundò: *In*

filium vel nepotem; quia nemo potest adoptari in fratrem vel patrem. L. nec apud. c. de hered. inst. sub masculino autem hic comprehenditur & femininum, nempe sub nomine filii filia, sub nomine nepotis neptis. Dicitur tertio: *Susceptio*, quia per eam adoptans suscipit in filium vel nepotem, quem à natura non habet, & quo naturæ defectum supplet. Dicitur quarto: *Legitima*; quia legibus civilibus statuta, & Canonicis approbata fuit, adeoque etiam in ea forma à jure præscripta est servanda. Videlicet primò, ut adoptans sit mas. Feminis enim ex rescripto Principis non est concessum ado-

adoptare. §. *femina. Inst. de adopt.* eò quòd filios sub sua potestate non contineant. Castrop. *tr. 28. d. 4. p. 9. nu. 4.* Secundò, ut sit sui juris, & major 25. annis; cum aliis sua administrare nequeat. Tertiò, ut non sit naturaliter impotens ad gignendos filios; cum in defectum filiorum, quos spectatà naturà habere possit, permittitur adoptio. Quartò, ut sit 18. annis major adoptato, adeoque ut esse possit ejus pater naturalis, etiam ratione ætatis; cum hæc adoptio filiorum ad similitudinem carnalis generationis introducta; quinimò in adoptione perfecta, seu arrogatione adoptans debet complere annos 40. Quinò, ut adoptatus sit adoptanti præsens, dum sit adoptio (adeoque adoptio per procuratorem fieri nequit) & hic in adoptionem consentiat. Vide de his omnibus *Inst. de adoptionib.* Sanch. *L. 7. d. 63. n. 2.* Molin. *Tom. 2. d. 227.*

2. Resp. ad secundum: Adoptio, ex qua oritur cognatio legalis, est duplex: Alia perfecta, in qua rescriptio Principis persona extranea, quæ est sui juris, transit in potestatem & familiam adoptantis, sicut alii filii legitimi, sitque hæres necessarius illius ex testamento in quarta bonorum parte ut filius naturalis. Dicitur hæc adoptio arrogatio; quia à Principe rogatur adoptans, an velit adoptatum in filium vel nepotem habere; & adoptatus, an id fieri consentiat. Alia imperfecta seu simplex & specialis, quæ fit autoritate cujuslibet Judicis merum & mixtum imperium habentis, & qua persona extranea, esto juris sui non sit, sed sub alterius, nempe patris sui naturalis potestate constituta, quam per hoc non egreditur, nec in adoptantis potestatem transit, nec fit hæres illius necessarius ex testamento, sed tantum valens ei ab intestato succedere (nisi tamen pater naturalis non extraneo, sed avo materno, vel etiam avo paterno, si ipse pater naturalis fuerit emancipatus, filium dederit in adoptionem; tunc enim adoptatus transiret in potestatem patris adoptivi. Pirh. *h. t. n. 2.*) assumitur in filium vel nepotem. Uti hæc omnia constant ex §. *sed hodie. §. item. Et alius. Inst. de adopt.* & *L. 1. §. 2. cod. Et ff. de adoption.* De cætero adoptio, facta etiam publicè, sed sine autoritate Principis vel magistratùs, nullum effectum habet, cum leges citatæ hanc conditionem pro forma requirant, adeoque eà deficiente actus corrumpit. Castrop. *n. 5. citatis Abb. in c. univ. h. t. n. 3.* Jo. And. *ibid. n. 1.* Angel. *v. adoptio. n. 3.* Sylv. *cod. q. 8.* Sanch. *L. 7. d. 63. n. 18.*

Quest. 215. Quid sit, & quotuplex cognatio legalis.

1. Resp. ad primum: Cognatio legalis est propinquitatis personarum ex adoptione proveniens. Ita communiter AA. cui definitioni Pirh. *h. t. n. 3.* ex Sanch. *l. c. n. 5.* adjicit hæc verba: *Jure Ecclesiastico jus civile approbante.* Atque ita distinguitur à cognatione naturali, ut pote quæ provenit ex consanguinitate & affinitate.

2. Resp. ad secundum: Cognatio legalis, tam ex adoptione imperfecta, quam perfecta proveniens est triplex: Prima in linea recta inter adoptantem & adoptatum & hujus descendentes, si hi in ejus potestate existant. §. *ergo non omnes. Inst. de nuptiis. L. quin etiam. ff. de ritu nupt.* Secunda lateralis; seu in linea transversa inter adoptatum & filios, nepotes & alios descendentes, saltem legitimos, adoptantis. De qua §. *inter eas. Inst. de nupt.* & *c. per adoptionem. 30. q. 3. c. univ. h. t.* Tertia

fundatur in legali quadam affinitate ad similitudinem affinitatis carnalis inter adoptantem & uxorem adoptati, & è contra inter adoptatum & uxorem adoptantis. *L. adoptivus. ff. de ritu nupt.* Vide de his Sanch. *cit. d. 63. n. 6.*

Quest. 216. Ex qua adoptione oriatur cognatio legalis dirimens matrimonium.

1. Resp. primò: Certum est, oriri eam ex adoptione perfecta, quæ arrogatio dicitur. *L. 14. Et seq. ff. de ritu nupt. c. univ. h. t. c. per adoptionem. caus. 30. q. 3.*

2. Resp. secundò: Oriri eam ex adoptione imperfecta seu simplice; negant Sylv. *v. matrimonium. 8. q. 8. dicto 4.* Sanch. plures alios referens. *L. 7. d. 63. nu. 9.* Henriq. *L. 12. c. 12. num. 3.* in quorum sententiam inclinat Laym. *L. 5. tr. 10. p. 4. c. 7. num. 3.* Pirh. *h. t. num. 3.* eò quòd, ut inquit, hæc non sit adoptio propriè, & simpliciter dicta (nisi fortè, ut Pirh. adoptans sit avus paternus aut maternus; tunc enim, quia adoptatus transit in avi potestatem, censetur adoptio perfecta, ut ille) adeoque, cum impedimenta tanquam odiosa sint restringenda, leges statuentes hoc impedimentum non sint extendendæ nisi ad adoptionem propriè talem. Item quòd hæc cognatio legalis constituta ad similitudinem cognationis carnalis, uti & filii adoptivi ad similitudinem filiorum naturalium legitime natorum; quam similitudinem referre nequit, nisi adoptati transeant in potestatem & familiam adoptantis, quod non fit per adoptionem illam imperfectam. Ac denique, quòd hac ratione cesset periculum incontinentiæ inter cognatos legales, dum hi, cum non transeant in potestatem adoptantis, non habitent simul. Quod periculum vitandum est præcipuum fundamentum, cur hoc impedimentum ab Ecclesia inductum, ut D. Th. *in 4. d. 42. q. 2. a. 2. in corp.* unde etiam ait Pirh. cum Sylv. non obitare, quòd Jus Canonicum non distinguit inter arrogatum, & adoptatum simpliciter, sed loquatur indistinctè, cum satis sit, quòd ratio juris, quæ est dicta cohabitatio, distinguit. E contra affirmant cum Gl. *in c. univ. h. t. ad fin. & ibi Host. in fine.* Abb. *num. 5.* Covarr. *in 4. decret. 2. p. c. 6. §. 5. nu. 2.* Tolet. *l. 7. sum. c. 4. nu. 7.* Rebell. *de oblig. just. p. 2. l. 3. q. 7.* Ponc. *l. 7. c. 41. in princ.* Gutt. *de matr. c. 102.* Barbof. *de potest. Episc. 3. p. alleg. 51. in fine,* quos citat & sequitur Castrop. *cit. p. 9. n. 9.* eò quòd licet adoptio, per quam quis non transit in potestatem & familiam adoptantis, sit adoptio minus perfecta, sit tamen vera ac propriè adoptio. Arg. §. *adoptio. Inst. de adopt.* & *l. adoptivus. ff. de rit. nupt.* & textus Juris Canonici, quibus asseritur hoc impedimentum, loquantur absolute de adoptione, ac proinde ortam inde cognationem legalem opus non sit in omnibus assimilari cognationi carnali.

Quest. 217. An & que cognatio legalis ex tribus illis dirimat matrimonium.

Resp. Omnes tres illæ cognationis legalis species sunt impedimentum dirimens matrimonium. Abb. *in rub. h. t. D. Thom. l. c. q. 2. a. 2.* Gallego *de cognat. leg. c. 3. n. 36.* Lancell. *inst. jur. can. l. 2. tit. de tripl. cogn. ubi de legali. §. legat. cognat.* Ponc. *l. 7. c. 41. n. 2.* Sanch. *cit. d. 63. n. 17.* Gutt. *l. 104. n. 4.* Laym. *l. c. n. 3.* Castrop. *n. 7.*

cum

cum communi. Cùm enim Jure Civili Locis cit. supra quælibet harum cognationum statuatur esse impedimentum dirimens, & à Jure Canonico rubr. de cognat. leg. approbata sit in communi cognatio legalis, sequitur earum singulas constituere tale impedimentum etiam Jure Canonico. Castrop. l. c. quin & in specie species prima cognationis legalis, nempe lineæ rectæ approbatur tanquam impedimentum dirimens. c. diligere. 30. q. 3. his verbis: Quandoque nec inter eos, qui naturâ, & eos, qui adoptione filii sunt, veneranda Romane leges matrimonia contrahi permittunt. Secunda species illius, nempe in linea transversa approbatur & statuatur impedimentum dirimens. c. per adoptionem. ead. caus. §. 9. ac præcipuè c. unic. h. t. ubi: Si qua per adoptionem mihi soror esse cæperit, quamdiu durat adoptio, inter me & illam nuptia consistere non possunt: Siquidem verbum potest præposita negatione tollit potentiam, & reddit actum nullum, ut Sanch. L. 6. d. 38. n. 20. & ex eo Castrop. l. c. uti & verbum consistere præposita negatione indicat, nullam consistentiam aut valorem habere dictum matrimonium. Tertiæ verò cognationis legalis speciei, etsi nullus textus Juris Canonici, à quo impedimenta hæc statuta approbantur, meminerit, non minus tamen ea, quàm priores approbata censetur, non tantum per hoc, quòd rubrica seu titulus generalis sit, nimirum de cognatione legali, eademque de hac, quæ de duabus aliis speciebus sit ratio; sed etiam, quòd generali consuetudine Ecclesiæ sit recepta & approbata, adeoque & inde rationem & vim habeat impedimenti dirimentis, ut Sanch. L. 7. d. 63. n. 17. Laym. Castrop. l. cit. Pirh. h. t. n. 7. Porro hujus impedimenti rationes eadem ab AA. adducuntur, quæ pro cognatione carnali, nempe quòd adoptatus specialiter debeat adoptanti reverentiam, cui non parum obstat copula carnalis, quòdque adoptatus cum adoptante ejusque uxore ac filiis habitare debeat, unde facile libidini foret locus, si matrimonia inter eos non essent interdicta. Ita ferè Castrop.

Quæst. 218. Ad quos gradus se extendat impedimentum legalis cognationis, & quamdiu duret.

1. Resp. primò: Cognatio legalis lineæ rectæ in ratione impedimenti non extendit se indiscriminatim ad omnes descendentes adoptati, ut volunt D. Thom. l. c. a. 3. Sylv. v. matrimonium. 8. q. 8. disto. 2. & alii, eò quòd sic se extendat jure civili; cognatio autem inducta jure civili approbetur à Jure Canonico. Neque indiscriminatim ad gradum secundum, nempe inter adoptantem & adoptatum & hujus filios, ut Henriq. argumento sumpto ab affinitate contracta ex copula illicita; cùm in hoc non minus inviter affinitatem ortam ex copula licita quàm illicita. Neque indiscriminatim ad gradum quartum, ut Nav. c. 22. n. 45. Tolet. L. 7. c. 4. n. 7. Ponc. L. 7. c. 41. n. 3. Valenr. Tom. 4. d. 10. q. 5. p. 3. post init. argumento sumpto à cognatione carnali; eò quòd licet cognatio legalis constituatur ex similitudine ad carnalem, non tamen exinde hæc in omnibus sit mensura illius, ne aliàs etiam cognatio legalis, non solum in linea recta transversa extendenda sit ad gra-

dum quartum. Ad hæc, ut Castrop. carnalis cognatio & affinitas se extendunt ad quartum gradum; quia frequentissimè occurrunt, cognatio verò legalis valdè rarè.

2. Resp. secundo: Sed dicendum intercedere hoc impedimentum tantum inter adoptantem & adoptatum; hi enim tantum Jure Canonico exprimuntur; adeoque jam etiam inter adoptantem & adoptati filios, filias, nepotes, nepres, aliòsque descendentes, qui tempore adoptionis erant sub potestate primi adoptati; adoptatà enim personà aliquà (ut probat l. si paterfamilias. ff. de adopt.) censentur adoptari omnes, qui tempore adoptionis erant sub ejus potestate. Ita tenent Sanch. cit. d. 63. n. 34. Laym. n. 3. Castrop. n. 14. Pirh. n. 5. Con. d. 32. du. 3. ad init. Hinc jam subsistit matrimonium inter adoptantem & filiam adoptati, quæ post adoptionem nata, fuit extra potestatem adoptati. Castrop. l. c. Item cum filia filia adoptivæ; quia mulier neminem habet in sua potestate. §. femina. inst. de adopt. Item cum quibuscumque illegitimis adoptati. Sanch. n. 35. Laym. Castrop. l. cit. Covar. l. c. §. 5. &c. cùm illegitimi non possint esse in potestate. §. ult. inst. de nupt.

3. Resp. tertio: Durat hoc impedimentum semper, seu dirimit matrimonium, etiam soluta adoptione per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati. Castrop. Pirh. Laym. l. cit. juxta l. adoptivus. & l. quin etiam. de ritu nupt.

4. Resp. quarto: Secunda species cognationis legalis seu in linea transversa præstat impedimentum matrimonio inter adoptatum & filios naturales adoptantis, & inter nullas alias personas. Castrop. Laym. Pirh. l. cit. Sanch. d. 63. n. 30. cum communi juxta c. unic. h. t. Proinde non extenditur ad filios adoptivos inter se; neque ad eorum parentes cum adoptante; neque ad filios adoptatos cum illegitimis adoptantis; quia, ut dictum, illegitimus non est sub patria potestate, neque solet appellari naturalis, adeoque textus cit. c. unic. solum dicit, non posse filium adoptatum cum filio carnali, & naturali adoptantis contrahere durante patria potestate. Ita AA. cit. contra Ponc. l. c. n. 4. dum sentit, impedimentum extendere quoque se ad illegitimos. Porro perseverat hoc impedimentum tamdiu solum, quamdiu dicti filii naturales sunt sub patria potestate adoptantis, adeoque soluta hac potestate vel morte adoptantis, vel emancipatione legitima vel filii adoptivi vel naturalis cessat. Ac ita, si pater emancipet filium suum adoptivum, poterit illi filiam suam naturalem legitimam dare in uxorem. Abbas, Præposit. Card. in tit. c. unic. Sanch. Ponc. Laym. Castrop. l. cit.

5. Resp. quinto: Tertia species cognationis legalis per modum affinitatis contracta inter uxorem adoptantis cum adoptato, & inter uxorem adoptati cum adoptante, neque ad alias personas se extendens, præstat impedimentum perpetuum, seu durans etiam soluta adoptione per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati; eò quòd reverentia, quam adoptatus cum uxore sua debet adoptanti & illius uxori, & cui impedimentum innititur, hoc sit perpetuum, secus ac accidit in secunda specie cognationis legalis. Sanch. l. c. n.

24. cæterique AA. l. cit. juxta expressum textum cit. l. adoptivus.

TITU-